

Optamus autem et volumus et presenti scripto sigillo nostro recognito locum iam dictum et bona ei attinentia in villis in silvis in campis in agris incultis et cultis in pratis pascuis in molis et molendinis in piscationibus et venationibus in arboribus et arbustis in hortis et areis in aquis et aquarum decursibus in exitibus et reditibus in aquirendis et acquisitis
 5 et omni prorsus utilitate, que nunc inest vel in futurum inesse poterit, ab omnium hominum invasione et precaria exactione salva manere eorum, pro quorum sustentatione oblata sunt usibus omnimodis profutura, advocatiam vero loci et fratrum et bonorum ipsorum defensionem nobis et heredibus nostris post nos assignamus nullum inde temporale emolumentum sperantes vel exigentes, sed eternam in celis remunerationem expectantes, quam
 10 et in beneficium nulli concedi volumus. Hec pro peccatorum nostrorum indulgentia proque omnipotentis dei gratia pro dilecte collectalis nostre et filiorum nostrorum salute et incolumitate fecimus et posterorum noticie presentem paginam transmisimus et, ut rata semper maneant, successorum nostrorum fidei committimus. Testes huius pagine sunt hii. Radeboto abbas Bigawiensis. Otto marchio Misinensis et filii eius Dietricus marchio
 15 Lusicensis, Henricus de Witin, Fridericus de Brene comites. Nobiles. Gotescalcus de Scudiz. Fridericus de Lesnic. Lûf de Kamburg. Hildebrandus^a). Petrus de Hagen. Ministeriales. Henricus. Bero. Rothgerus et alii plures.

(S.J.)

Actum anno domini M̃CLXXIII, indictione viii, regnante Frederico Romanorum
 20 imperatore semper augusto anno regni eius xxiii, imperii vero anno xxi; feliciter amen.

405.

Landgraf Ludwig III. bestätigt den zwischen Ludiger und dem Abte Hermann von Reinhardsbrunn wegen des Dorfes Teutleben abgeschlossenen Kauf. Siebleben, 1174.

Hdschr.: Or. Perg. Haus- und Staatsarchiv Gotha Q Q I. g. 29. Phot. H. St. A. S. auf Taf. XI. 1.

25 Gedr.: Thur. sacra 95.

:In nomine sancte et individue trinitatis.: Ego Lvdewicus tercius patientię dei gratia et permissione dictus princeps et lantgravius Turingię. Fidelibus Christi tam presentibus quam futuris non ignotum | esse cupio ad testimonium veritatis, qualiter quidam nobilis et liber genere Lvdigerus nomine hereditarium sibi predium, quod proprietatis
 30 iure possederat in villa, que vocatur Tuteleibe, cum omnibus appen|diciis eius precio centum marcarum accepto a venerabili abbate Reinhersbrunnensis ecclesię Herimanno nomine eidem ecclesię et fratribus ibidem deo famulantibus ipse videlicet cum coniuge sua et liberis | omnibus manu sua contradidit iure legitimo et sempiterno in posterum possidendum. Cuius rei actio et taxatio non solum coram mea ipsius presentia mihique asti-
 35 pulantium tam liberorum quam ministerialium clarissimorum baronum, verum etiam inter scephones et scrinnas promulgata et confirmata est. Quam et nos nostre auctoritatis

404. a) Fr. de Lesnic. Petrus de Hagen. Lûs de Kahenburc. Hildebrandus *Transsumpt.*